

**De psoriasi : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor
Eduardus Metz ; opponentibus C. Schultz, C. Finkelnberg, R. Brock.**

Contributors

Metz, Eduard, 1830-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis Gustavi Schade, [1854]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sxzyx899>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Leopold
DE PSO

DISSERTATIONE
INAUGURALI

CONSENSU ET APO-
GRATIOSI MEDICO

IN
ALMA LITTERARUM
FREDERICA

ET SUR-
IN MEDICINA ET CHIR

DATE SIBI CON-
DE XIX. M. AUGUS

AUCTOR

EDUARDUS

OPPOSUIT

C. SCHULTZ, MED. D.
C. FISKEBERG, A.
R. BOMX, MED. ET C.

EROL

TIPO GUSTAVI

Metz

DE PSORIASI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FREDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. AUGUSTI A. MDCCCLIV

H. L. Q. S.

PUBLICÆ DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS METZ

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

C. SCHULTZ, MED. ET CHIR. DR.
C. FINKELNBERG, MED. ET CHIR. DR.
R. BROCK, MED. ET CHIR. DD.



BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PRESENTED
by the
AUTHOR

DE PSORIASI.

DISSERTATIO

IN AUGUSTALIS MEDICAE

ORATIONE

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

BEROLINENSIS

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE Sibi CONFERANTUR

DIE XXIX. M. AUGUSTI A. MDCCCLV.

H. C. G. B.

LEBENS BEKANNT

AUCTOR

EDUARDUS METZ

BEROLINENSIS

OPORTUNITATE:

C. SCHULTZ, MED. ET CHIR. DO.

C. FINKELBERG, MED. ET CHIR. DO.

H. BROCK, MED. ET CHIR. DO.

BEROLINENSIS

ETIIS GUSTAVI RECHARD.

PRESENTED
to the
AUTHOR

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

V. JACOBO METZ

MED. CHIR. ET ARTIS OBSTETRIC. DR. REGI A CONSILIIS SANITATIS
ORDINIS REG. AQUILAE RUBR. EQUITI ETC. SOCIET. AD PROMOVEND.
ART. MED. ET SCIENT. NATUR. BONNENS. ET DRESDENS. CHIRURGOR.
GERMAN. SOCIETAT. PARTHENOPOL. BEROLIN. PROVINC. RHENAN. SODALI
ETC. ETC.

FILIUS.

PATRI

OPTIMO HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

ART. MED. ET SCIENT. NATUR. HONORARIIS ET BENEFICIIS CHIRURGICIS
ORDINIS REG. AUSTRIAC. ROLLE HONORARIIS SOC. AD PROMOVEND.
MED. CHIR. ET ARTES OBSTETRIC. DE REG. A. CONSTIT. AUSTRIAC.

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

Quamdiu normalis structurae cutis cognitio manca erat, ingens phaenomenorum, quae non raro ejusdem exanthematis primordia, decursus et exitus observantibus offerunt, varietas diversissimis divisionibus atque denominationibus, quales vix alia scientiae medicae pars unquam exhibuit, ansam praebuerunt. Multi eo enitebantur, ut formas plane aequales vocibus quam maxime absurdis designarent. Qui attentionem praecipue formae externae, qua indutae cutis affectiones apparere solent, impendebant, facile criteria invenerunt, quibus singula genera atque species possint discerni, imo pauci, majore studio ad hanc materiem incumbentes, reperiri videntur, qui systema proprium haud condiderint. Alii idem ita assequi studuerunt, ut in dividendis cutis affectionibus causas efficientes pro summo haberent principio eoque modo aream amplissimam sibi pararent. Quot causae insontes prolatae sunt, quibus novum systema fulciretur! Quot enim afferuntur causae, quae cum cutis affectione ne minimum quidem commercium alunt! Sunt adeo, qui scribant, animi pathemata herpetem evocare posse. Ubi vero nulla causa fingi poterat, perfrigerium culpari solebat. Fuerunt

etiam, qui acuto aut chronico decursui divisionem superstruerent talique agendi ratione innumeris erroribus ansam praeberent. Reminiscamur quaeso, permulta exanthemata chronica communi „herpetis“ nomine esse designata. Denique locus, ubi existunt illae affectiones, haud mediocres partes egit; imo nonnulli eo usque processerunt, ut, divisionem simpliciore redditori, diversissima exanthemata, eundem locum tenentia, eodem nomine notarent, e. gr. capitis exanthematibus, sive favus, sive eczema, sive seboroea essent, commune „Tineae“ nomen irrogarent, porro varia crurum exanthemata „Elephantiasin“ et si manum adgrederentur, „Scabiem“ appellarent. Proinde structurae cutis cognitione novis disquisitionibus amplificata, et divisionem ex toto mutari, et denominationes simpliciores reddi necesse fuit. Dividendi et denominandi ratio, eo usque adhibita, plane deserebatur, quo facto, explorato cutis organo aegrotante et mutatione pathologica ibi exorta, multo laetiores obtinebantur fructus, qui praecipue disquisitionibus anatomico-pathologicis debentur, sine his enim morborum cutaneorum notitia, quae nobis contigit, multo minorem teneret gradum. Etiam si manca nonnulla apparent, tamen summa cum probabilitate sperare licet, fore ut haec etiam suppleantur, dummodo ad praestantissimos recentioris aevi viros respiciamus, qui singularem huic pathologiae parti attentionem impendunt. Prae omnibus Germani nonnulli nominandi sunt, quibus fructus illos debemus. Diagnosis certa formaeque verae cognitio haud minus eo impetrabatur, quod necessitas,

aegrotantes explorationi submittebantur omnibus vestibus nudandi, ne effigies solitaria in singulari cutis loco observata ad perversam opinionem seducat medicum, agnoscebatur. Quanta dignitatis hoc sit, ex eo jam elucet, quod tali modo error, qui diu sustentatus et in scriptis recentioribus vel adhuc obvius, vel addito signo? relegatus est, omnino profligatus tandemque medicis persuasum est, scabiem in pene etiam oriri posse. Qui error, ad cutis affectionem quotidie fere obviam spectans, negligenti tantum vel ineptae explorationi originem debere potuit. Magnus exemplorum numerus non solum mihi persuasit, scabiem quoque penem adgredi, sed haud raro etiam effecit, ut scabies tantum hoc loco obvia diagnosin constitui pateretur, quoniam homines explorandi omnes canaliculos scabiosos in extremitatibus et reliquo corpore variis remediis sedulo destruxerant, penem autem non tetigerant, qui pulcherrimos canales nodosque scabiosos exhibuit. Fructus anatomia pathologica et accuratiore exploratione impetratos, nec non modum, quo denominationum major simplicitas obtineatur, hisce in pagellis exponere conabor.

De primaria psoriasis efflorescentia controversiae parum frugiferae agitatae sunt, aliis scilicet nodulum, aliis vesiculam, aliis denique squamulam defendentibus. Psoriasis incipientis rationem describentes, primum ejus indicium cerni videbimus in cutis eminentia acuminata, alba,

acus capituli magnitudinem aequante, in parvo squamularum colliculo, qui conglomerata epidermide constat et scabendo ablatus rubram superficiem ejusdem amplitudinis manifestat, aut loco ejus nodulum oculis offert, qui tamen raro animadvertitur. Nonnunquam, squamula ablata, superficies rubra aut nodulus apparens sanguinem edit. Causa, quod locus affectus leviter vellicatus humescit aut sanguinem reddit et ne fortiore quidem pressione adhibita plane decoloratur, sed semper exsudatum subfuscum ostendit, in eo est, quod degeneratio praecipue superius corii stratum, ex quo recens semper epidermis nasci dicitur, occupat. Haec phaenomena primordialia eo certius de ineunte psoriasi concludi jubent, si in facie artuum extensoria, vel apud squalidum hominem conspiciuntur. Nunquam unus squamularum colliculus evolvitur, semper plures dispersi longeque inter se distantes, simul emergunt. Hic oriendi modus conformando nomini „Psoriasis punctata“ ansam praebuit. Quodsi squamulae increscunt, si guttae amplitudinem assequuntur et cementi guttis similes evadunt, alio nomine eadem affectio notari, nimirum „Psoriasis guttata“ appellari consueverat, quae cognomina omni dignitate destituuntur. Punctula paulatim majorem impetrant superficiem, minime vero attolluntur et dum peripherica amplificatio procedit, inter primas efflorescentias novae eminentiae parvae, albae emergunt, quae pariter ac priores amplificationem periphericam experiuntur. Tunc efflorescentiae duplicis amplificationis animadvertuntur: majores et minores. Accedunt novae efflorescentiae,

quae eodem modo evolvuntur et cum secundis eandem rationem alunt, quam hae cum primis. Tali modo altera efflorescentiarum generatio alteram excipit. Nihilosecius autem fere nunquam accidit, ut corporis pars morbo tentata efflorescentiis continuo obtegatur. Causa in eo est, quod, dum novae efflorescentiae peripheriam versus expanduntur, priores paulatim in centro suo squamulis privantur. In loco squamulis nudato macula rubra tum exoritur, sensim pallescens et normalem cutis colorem recipiens. Hac ratione orbis existit squamis obtectus, cujus centrum cuti ad normalem indolem reversa formatur. Dum processus morbosus circa peripheriam longius progreditur, itaque orbis amplificatur, sanatio inde a centro ordiens incrementa capit. Efflorescentiis latius dimanantibus, orbis tandem sese contingunt, quo fit, ut sinuatio exoriatur. Harum sinuationum typus certus ubique demonstrari potest. Psoriasis evolutio, quam modo descripsi, nonnullos, ut varias distinguerent species, impulit. Willan e. gr. figura circulari seductus pro nomine „psoriasis orbicularis“ vocem „lepra“ substituit, cujus tres species varias insuper distinxit: psoriasin e. gr. forma sinuata indutam „psoriasin gyratam“ appellavit etc. At una tantum exstat psoriasis et quum processus semper idem sit, omnia cognomina sunt supervacua. Satis est, si morbi nomen constituimus psoriasin, epithetis non opus est. Si ad formam accuratius designandam cognomine uti elis, voces „punctata“, „orbicularis“, „gyrata“ plane sufficiunt, eoque magis praeferendae sunt aliis, quod hoc

utilitatis simul afferunt, ut ex iis intelligas, quodnam stadium efflorescentia intraverit et quamdiu circiter perstiterit. Proinde nomina psoriasis „numularis“, „scutellata“, „diffusa“, „lepra Willani“ etc. omnino abroganda sunt. Plus perversi ejus denominatio secundum partes affectas habet: psoriasis labialis, ophthalmica, praeputialis, scrotalis, palmaris etc. Quod ad extremitates, frequentissime faciem extensoriam, saepe solam, adgreditur; uno tantum in casu contrariam rationem in extremitatibus observavi.

Ad emetiendum decursum, quem descripsi, vario temporis spatio opus est; nunquam certo dirimere licet, quantum temporis morbus sit desideraturus. Diurnitas ejus efficitur recidivis, id est novis efflorescentiis iterum iterumque se excipientibus. Quot recidivae sint futurae, certo constitui nequit. Interdum una tantum eruptio locum habet, quae cursu suo absoluto evanescit. Quo propius psoriasis ad finem vergit, eo major squamularum mutatio locum habet. Prima involutionis nota in eo cernitur, quod superficies rubrae squamulis subditae apparent, et quo propius cutis color ad normalem accedit, eo minor squamularum numerus evadit; simul peripherica expansio finitur. Duplici igitur modo psoriasis involvitur: partim a centro versus peripheriam, partim orbis formando. Quaeque psoriasis procedente tempore sua sponte, i. e. sine ullo artis auxilio, involvitur. Maculas relinquit pigmentatas, quae et ipsae longius post tempus evanescunt. Eundem absolvit cursum, dum novae efflorescentiae in peripheria aut aliis in locis emergunt. In-

volutio aut totalis est, ergo sanatio, aut partialis, quarum haec modo transitoriam valetudinem admittit. Spontanea involutione explicatur, quo fieri possit modo, ut homoeopathici morbum istum pertinacissimum intra biennium debellent. Psoriasis sponte involuta per mensem aut bimestre, imo per annum aut biennium deficit; rarissime in perpetuum deleta est, sed post semestre ut plurimum revertitur, quo facto multo celerius evolvitur, saepe intra sex hebdomades valde ingravescit et ad involutionem multo longiore tempore indiget. Psoriasis guttata tantum pruritum efficit, quo aeger ad scabendum impellitur; ungues superficiem rubefactam tum attingunt cutemque scindunt, ita ut sanguinis effusio locum habeat. Peripheria magis vellicatur, quam centrum. Quum igitur psoriasis tantum ineunte evolutione pruritum commoveat, incipiens modo excoriationes offert, evoluta autem et diutius protracta iis destituitur. Multos per annos psoriasis recidiva fieri eoque modo per annos 20, 30, 50 protrahi potest; rarius tamen ultra vicesimum annum persistere dicitur. Homines psoriasi obnoxii ceteroquin bona valetudine fruuntur.

Omnes fere homines, quibus psoriasis supervenit, juvenes atque sani sunt. Fuerunt, qui capillitii colorem fusciorum aut pallidiorem ad frequentiore hujus morbi introitum conferre crediderint, extra dubitationem vero positum est, comarum colorem cum exanthemate nihil commercii alere. Observationes docent, psoriasin apud homines male nutritos, leviori ejus gradu laborantes, ad multo majorem gra-

dum evehi, si melior victus iis detur, ergo vires instaurantur; in nosocomiis praecipue hoc observari solet. Quamdiu homo secunda valetudine utitur, psoriasis a forma sua non recedit, sin ei obnoxius alio morbo aegrotat, primum psoriasis evanescit, et quanquam aeger alioquin ea se liberari cupit, tamen his in casibus reditum ejus impense desiderat, quippe qui valetudinem imminentem annuntiet. Simulatque homo psoriasi affectus aegrotat, loca cutis rubentia pallent, squamulae exiliores fiunt, omnia psoriasis symptomata, haud raro intra brevissimum tempus, decrescunt. Ineunte autem convalescentiae stadio, psoriasis ante omnia revertitur et mox ad florem pristinum restituitur. Egregie discessio ejus repentina et reversio in typho et potatorum delirio animadvertuntur.

Infantes morbo nostro non tentantur; quae enim *psoriasis neonatorum* a nonnullis vocatur, nihil est, nisi herpes tonsurans, qui quidem apud infantes et neonatos cum psoriasi interdum confunditur. Adnotandum vero est, herpetem tonsurantem jam intra aliquot hebdomades sponte sanescere. Infans natus minimus, quem Hebra psoriasi laborantem vidit, vitae annum septimum exegerat. Equidem puellam observavi sanam et validam, quinque annos natam, cujus facies extensoria artuum superiorum atque inferiorum psoriasi tenebatur. Creberrime inter vitae annum decimum quintum et tricesimum morbus occurrit; post quinquagesimum aetatis annum rarissime evolvitur. Quod ad anni tempora pertinet, nullo non tempore, tam hieme quam aestate, psoriasis aequae est crebra; quae si

in nosocomiis nonnullis hiberno tempore frequentius observata est, causa haud dubie in eo fuit, quod multi homines iniquis conditionibus per hiemem illatis cogeantur, ut tutum asylum peterent. In praxi enim privata, id quod unanimi medicorum consensu affirmatur, anni tempestas aegrotantium numerum haud mutat. Haud paucae tamen observationes docent, morbum autumnali tempore evanescere, redeunte autem vere reverti; ex quibus concludere possis, hiberno tempore generatim aegrotantium numerum esse minorem.

Multi homines, evanescente psoriasi, in colicas affectiones incidunt, quam necessitudinem reciprocam inter utrumque morbum haud pauci medici observarunt. Psoriasis per omnes orbis terrarum partes aequabiliter distributa est, haud secus unam ac alteram adgreditur, nulli parcit. Non adeo multi sunt morbi, cum psoriasi id commune habentes, quod ubique terrarum domicilium suum ponere queunt. Lepra certo psoriasis substratum, imo plerisque in casibus nihil nisi psoriasis est. Quod ad sexum attinet, neuter ad psoriasin magis opportunus est, aequus enim virorum et mulierum aegrotantium numerus invenitur. Crediderunt aliquando, dyscrasiam, quam psoriasis proferat, acidum uricum in lotio et sanguine diminuere, nihil tamen exstat, quod hac de re omnino certos reddere nos possit.

Haud facile cum alio morbo cutaneo psoriasis potest confundi, incipiens tantum psoriasis cum Lichene exsudativo rubro fortasse similitudinis aliquid praebet; at lichen

exsudativus ruber raro observatur. Exordia hujus morbi in nodulis miliaribus rubris, circa folliculorum pilorum ductus excretorios emergentibus, cernuntur, quorum superficies mox squamula obtegitur indeque de incipiente psoriasi cogitari patitur. Nodulus autem et squamula lichenis exsudativi rubri non amplificantur, psoriasis continuo per majorem ambitum diffunditur. Efflorescentiarum lichenis numerus adaugetur, tandem plures noduli in peripheria confluunt. In psoriasi squamulae etiam singulae, in peripheriam dimanantes, altera alteri admoventur eoque modo novum fortasse momentum exhibetur, quo uterque status confundatur. Lichen vero exsudativus ruber, si per longius tempus protrahitur, totam cutis superficiem continuo exanthemate obtegit, id quod nunquam de psoriasi valet. Deinde psoriasis majorem, lichen minorem squamularum copiam offert. Psoriasis corpora bene nutrita, lichen macrescentia aut jam confecta adgreditur. Psoriasis per intervalla sanatur, lichene aegrotantes omnes serius ocus vel ipso intereunt morbo, vel crasi, quae ei subest.

Causae hujus morbi, perinde ac multorum aliorum, quotquot cogitari possunt, a scriptoribus traduntur, imo nonnulli eo usque processerunt, ut perfrigeria animique pathemata inter causas retulerint. Longum est, omnes enumerare causas, quas scriptores memoriae prodiderunt. Dicere potius liceat, veram morbi causam plane esse incognitam omnesque frustra hucusque id molitos esse, ut probabilem causam investigarent. Altera parte multis in casibus syphilis pro momento efficiente potest haberi,

quamobrem de psoriasi syphilitica nonnulla apponere placet. Vel primitus evolvi, vel ex maculoso exanthemate emergere potest; non raro cum maculoso aut tuberculoso aut cum utroque exanthemate simul exstat saepeque difficilius quam syphiloideum dignoscitur. Essentiale hac in forma syphilitica illud est, quod manuum volae pedumque plantae non incolumes manent. Fieri autem potest, ut dictae partes serius demum afficiantur, qua re diagnosticos difficultates augentur; attamen his in casibus color fuscior, minor squamularum numerus et affectiones concomitantes lucis aliquid nobis suppeditant. Sin autem, id quod haud raro evenit, exanthema squamosum sola manus vola pedisque planta restringitur, de syphilitica psoriasi agi, certo affirmare licet. Prima exordia hoc in casu sistunt maculae numerosas lividae, fuscorubrae, non elevatae, lentis magnitudinem aequantes, quarum in media parte squamula mox conformatur. Macula et squama incrementibus, squamulae centrum excidit, quo facto orbis rubicundus externus, tum minor orbis epidermidis et in centro locus saturate rubicundus, ubi detrusa est squamula, animadvertitur. Huic formae nomen „Syphilolepsis palmaris simplex“ indiderunt. Pedetentim locus, ubi a centro inde squamulae detruduntur, plane callosus evadit, quanquam pressio singularis in eum non exhibetur, quae pro callescentiae causa possit haberi. Idem locus colore coeruleo-rubescente simul imbuitur. Epidermis procedente decursu magis magisque desquamatur, manus vola fissuras agit, corii rhagades exoriuntur. Haecce

forma „Syphilolepsis palmaris cornea“ appellatur. Morbo demum longius provento, dilapsa materie infiltrata, subito ulcuscula exoriri possunt, quo facto illa forma existit, quae „Syphilolepsis exulcerans palmaris“ dicitur. Psoriasis syphilitica celerrime ac certissime remediorum mercurialium, pastae forma externe illitorum, usui cedit; alia medicamenta, ut solutio mineralis Fowleri, parum auxilii pollicentur.

Psoriasin esse morbum mere localem et sanguinem nullas omnino partes agere, vix ratiocinari licet, dummodo meditemur, eandem super totum corpus diffusam occurrere. Utrum dyscrasia statuenda sit, qua sanguinis partes producendae epidermidi inservientes vitiosae reddantur, in suspenso relinquendum est, donec partium sanguinem constituentium melior notitia nobis obtigerit. Plasticum sanguinis exsudatum, uti videtur, ad enormem substantiae corneae formationem adhibetur. Sola chemia plus lucis huic rei affundere potest, theoria sufficiens, qua explicetur psoriasis, adhuc desideratur.

Psoriasis curatio id molitur, ut partim squamulae auferantur, partim exsudatum in cuti depositum ad resorptionem adigatur, partim denique cutis ad normalem functionem restituatur.

Ad quem finem consequendum nonnulli psoriasi aegrotantes, imprimis feminae, quae, cosmeticarum rationum bene memores, majoribus molestiis sese submittere solent, quam viri, per annos numerosa et diversissima subierunt experimenta, ut infestum hocce malum profligarent. Quod

ad dietam, quam in causis esse putabant, eo usque processerunt, ut per menses, imo per annos nec carnibus, nec, si opus videretur, oleribus vescerentur; quanquam autem summa cum diligentia huic regimini indulserunt, nihil plane profecerunt. Proinde psoriasis therapia mere empirica est et experimentalis; quemadmodum in permultis aliis morbis, ita in psoriasi etiam accidit, ut neque aetiologia, neque tabulae statisticae certum remedium adhiberi jubeant, sed via tantum empirica, saepe admodum longa, nobis ingredienda sit. Quanquam permulta remedia in promptu habeamus, quanquam magnus eorum numerus in omnibus propemodum terris ad sanandam psoriasin panaceae dignitate ornetur, tamen magnis premimur angustiis. Sermo hic fieri nequit de periodica sanatione, sed de ea psoriasis abolitione, ut reditus ejus prohibeatur. Quamdiu psoriasis cum aliis morbis cutaneis commiscebatur, inprimis stibii praeparata, decocta specierum lignorum, cortex mezerei, alia ex acrium classe remedia ad morbum nostrum debellandum in usum vocari consueverunt, omnia vero haec effectum salutari plane destituuntur. Postea anthracokali a Polga ut certum psoriasis remedium commendabatur, verumtamen multis in casibus a Sigmund, Gibert, Hebra, aliis absque ullo effectum adhibebatur. Quibus in casibus valetudinem instauravit, plerumque tantum temporis interponebatur, ut psoriasis sua sponte posset involvi, itaque anthracokali effectus ambiguus esset. Galli deinde tria remedia certa ad auferendam psoriasin sibi innotuisse opinabantur, quo-

rum primum in diuturniore usu medicamentorum purgantium, aquarum nempe mineralium, magnesia sulphuricae, similium cernitur. Tam irrationali curatione haud dubie omnia involventur, ipse nasus labefacta nutritione acuminabitur, quare psoriasin quoque involvi mirandum non est. Sin aeger tali curatione offensus melius nutritur bonaque ejus species revertitur, psoriasis etiam redibit et augescante totius organismi nutritione luxuriabitur. Quis ergo curationem inutilem, aegroto tam inimicam, auspicetur? Altera medendi ratio, a Gallis proposita, in tincturae cantharidum usu cernitur, cujus gutt. 10 — 30 per diem cum infuso aromatico exhibentur. Hebra, qui multis aegrotis hoc remedium dedit, nunquam salutarem effectum expertus est. Usu ejus per 2 — 3 menses continuato, gravior affectio, quam quae sananda erat, exstitit, albuminuria nempe; haud raro haematuria accessit. Ceteroquin usus diuturnus largaque medicamenti, quod adhibebatur, copia penis erectiones, quod vulgo fieri traditur, non excitabant. — Tertium remedium, ab Hunt primo commendatum, arsenici praeparata celebrabantur. Quod ad interna psoriasis remedia attinet, arsenici praeparata iis adnumeranda sunt, quae plurimum auxilii praestant, etsi effectus evidentissimos non proferant. Nihilominus de salutari eorum in psoriasin efficacitate medici non mediocriter dissident. Inter usitatissima praeparata solutio Fowleri pertinet, cujus guttae 90 granum unum acidi arsenicosi continent. Fowler primus hanc tincturam contra varios cutis morbos aliasque affectiones, nec

non contra psoriasin adhibuit. Arsenicum re vera in telas corneas efficacitatem exserit, equi enim aliaque pecora, quorum pabulis arsenicum admiscetur, pilos obtinent pulchros, nitidos, qui plerumque apta tantum nutritione iis comparantur. Non solum vero in pilos arsenicum exserit vim, verum etiam in ungues, quippe qui usu ejus nova capiant incrementa. Quodsi arsenicum in usu vocatur, parvis dosibus ordiendum est, ut effectus, qui nunc maturius nunc tardius accedit, paulatim evehatur. Romberg, qui arsenicum impense laudat egregiasque ejus virtutes multis in casibus observavit, grani parte $\frac{1}{30}$ incipi dosinque sensim adaugeri suadet. Quum sola fere solutione Fowleri utatur, quae in ejus policlinico etiam adhibetur, unam ejus partem tribus aquae destill. partibus diluit et ter per diem gutt. 12 — 16 sumi jubet. Tali modo aegrotorum temeritati, quos non semper observare licet, occurritur minusque damniferi effectus, si aegrotantes dosin praescriptam guttulis aliquot excedunt, inducuntur. Hebra initio gutt. 6 solutionis Fowleri per diem exhibet dosinque ad gutt. 40 adauget, dummodo aegrum semper observandi copia ei detur. Quae dosis, si aeger medicamentum sustinet, nihil periculi inferre dicitur; sin minus sustinet, subito veneficii symptomata irruunt. Opus igitur est, ut aegrotorum animus ad hancce rem attendatur et symptomata, quae frequentissima esse solent, innuantur. Haec quidem sunt: ventris dolor, diarrhoea, color pallidus, affectiones cholerae similes. Quibus in casibus quam promptissime aliquot opii doses, ad gra-

num usque, praebeantur, quod optimum est antidotum; praeterea arsenici usus aliquamdiu suspendatur. Nonnunquam arsenici usum dolor et rigiditas articulorum sequuntur. Dosi paulatim adaucta, id dispiciendum est, quam ratione arsenicum aegrotantis habitum afficiat. Maculae antea rubrae si fuscum induunt colorem, squamae si deminuuntur, in dosi eo usque adaucta acquiescere, sin minus, augere eam oportet. Dosis deinde, qua salutarem praestitit effectum, aliquot per hebdomades continuanda, postea vero eodem modo, quo angebatur, diminuenda est. Psoriasi feliciter sublata, medicamentum, sive solutio Fowleri sive aliud arsenici praeparatum, per 4 — 6 hebdomades, aut, quod Angli praecipiant, per tantum temporis spatium adhibeatur, quanto ad morbum tollendum opus erat. Multi medici dietam simul circumcidunt, semel tantum per diem carnis usum concedentes, omnia calefacientia, ut infusum theae, coffeae etc. vetantes. Hoc probandum non videtur, partim enim medicamento effectum non mutat, imo sub ejus usu victus lautus bene sustinetur; sunt adeo, qui dietam nutrientem cum eo conjungendam censeant, quo melius feratur, partim arsenici praeparatum quodque jejuno digestionem apparatus praebere non convenit, quoniam male sustinetur. Pearson aliud praeparatum, liquorem arsenicalem Pearsonii, commendavit. Natri arsenicosi granum 1 in aquae destillatae drachma 1 solvitur; praestat tamen, natri arsenicosi gran. 4 in aquae destill. unciis 4 solvere hujusque solutionis gutt. 15 initio ter per diem exhibere, dosi pau-

latim ad 90 gutt. adaucta. Omnia natri praeparata prom-
tius solvuntur meliusque feruntur, quam kali praeparata,
quare hoc remedium per annos sine detrimento praeberi
potest, id quod Hunt expertus est. Hoc autem praepa-
ratum et tardiores praestat effectus, et recidivam psoriasin
arcere nequit. Tertium arsenici praeparatum memoratu
dignum pilulae asiaticae exhibent. Formula haec est:
drachma 1 kali arsenicosi, drachmae 9 aquae, gummi arab.
q. s. in pilulas 900 rediguntur. Multi 1800 pilulas sum-
serunt, antequam psoriasis cessit; non interesset autem,
quot sumantur pilulae, dummodo sanationis spes affulge-
ret. Initio una datur pilula singulisque hebdomadibus
una additur, donec tres per diem hauriantur; quae dosis
longum per tempus exhibetur. Nonnullis in casibus pso-
riasis hoc praeparato curata tantam obtulit pertinaciam,
ut pilularum numerus ad 8 per diem augeretur. Potato-
res optime hocce praeparatum sustinere dicuntur. Usu
ejus diutius continuato, haud raro aeger macrescit et per
intervalla ventris dolores spasticos cum diarrhoea con-
queritur, id quod praecipue assumtis cibis farinaceis fieri
solet. In Germania pilulae illae fere nunquam, in Anglia
et Oriente autem crebro adhibentur. Aliud praeterea ex-
stat arsenici praeparatum, ex Hibernia inde commendatum,
liquor Donovan, seu liquor hydrojodatis arsenici et hy-
drargyri, quo nullum aliud arsenici praeparatum, ut Hebra
adnotat, melius fertur, ita ut doses uberiores absque ef-
fectu inimico praeberi posse dicantur. Vis ejus autem
reliquorum praeparatorum virtutibus haud multum prae-

stat. Si quatuor enumerata arsenici praeparata secundum jucunditatem disponere velis, ultimo loco positum jucundissimum erit, cui deinceps succedunt: solutio Pearsonii, tum pilulae asiaticae, denique solutio mineralis Fowleri. Omnia vero arsenici praeparata id habent incommodi, quod, si psoriasis iis cessit et desquamatio finita est, maculae pigmentariae in perpetuum remanent. Talis aeger si denuo tentatur psoriasi, nihil nisi maculas pigmentarias lucratus est. Aliae curandi methodi, nullis relictis maculis pigmentariis, psoriam profligare possunt. Proinde arsenicum non praebendum erit foeminis, earum partium psoriasi laborantibus, quas nudas gestare solent; arsenici usus duplex malum iis inferet, quod, si sponte sua morbus involvitur, metuendum non est. Aegrotam novi, ante aliquod tempus, assumtis 400 pilulis asiaticis, psoriasi liberatam, cujus corpus omnibus in locus psoriasi prius tentatis maculas pigmentarias quam maxime exquisitas ostendit. Qui arsenicum esse putant ensem ancipitem, qui usum ejus incertum plane omittunt, ne effectus periculosi sequantur metuentes, debito longius procedunt. Parvis dosibus caute adhibitis, per intervalla sepositis, imo mutatis praeparatis, nihil mali est timendum.

Multi medici internum hydrargyri bichlorati corrosivi usum laudarunt, quod, nisi de syphilitica forma agitur, diu sine ullo effectu solet praeberi. Nuperiori tempore Consul Austriacus in Brasilia remedium evulgavit, quod specificam vim in lepram aliosque morbos cutaneos exercere putabatur; Hiram innuo Brasiliensem, corticem

radicis Hurae, quae ad genus „Cassia“ pertinet. Praeparatio eo efficitur modo, ut corticis libr. $\frac{1}{2}$ per horam coquatur ad colaturam unciarum 4, quae dosis tempore antemeridiano duabus vicibus sumatur. Fere constanter vomitus insequitur et copiosae alvi excretiones. Per biduum dein haec medicina seponitur quartoque die eadem dosis exhibetur; tali ratione usus, quoad opus videtur, continuatur. Ceteroquin haec ejusdem remedii praeparata exstant, quae in usum vocari solent: succus recens Herb. Brasil., resina Anacou dicta, et succus recens Hurae Brasil. cum alcoholis partibus aequis, aut alcoholis partibus decem et Anacon una parte. Hoc medicamentum non aliam ac eccoprotici, imo drastici, vim habet. Usus ejus continuatus docuit, non plus eo praestari, quam pulpa Cassiae, aloë, colocynthide, summatim drasticis nostris; effectus igitur in alvi laxatione cernitur. Specificum psoriasis aliorumque morborum cutaneorum remedium Hura Brasil. nequaquam exhibet. Alii tincturam colocynthidis cum tribus tincturae antimonialis saponatae partibus commendarunt et hujus mixturae gutt. 20 — 40 per diem dederunt. Et haec medicina, vi laxativa insignis, specifico effectu destituitur. Plurimum attentionis usus picis liquidae internus, utpote efficax et plane insons, meretur. Romberg (Klinische Ergebnisse) quam maxime hoc medicamen commendat. Quid externa picis liquidae applicatio praestet, infra explanabo. Alia remedia ad curandam psoriasin laudata, effectum autem salutari destituta, sunt: sulphur iodatum, hydrargyrum oxydatum rubrum

et amidato-bichloratum, magnae calomelani doses. Videmus ergo, haud pauca medicamenta interna ad debellandam psoriasin esse commendata; idem vero eximius numerus nobis persuadet, omnium usum esse ambiguum. Gradum igitur faciamus ad externa remedia, quae magis fortasse desideriis nostris satisfaciunt.

Hebra, quum morbis cutaneis affectos in nosocomio suscepit curandos, omnes psoriasi laborantes linteis humidis involutos se invenisse tradit, in quibus per menses 2 — 3 detenti et tali modo psoriasis curata fuerit. Psoriasin ergo linteorum humidorum circumvolutionibus constanter adhibitis posse sanari videmus. Plura balnea, inprimis Leuk (Loèche) in Vallesia, balneum sulphuratum, remedia psoriasis specifica praedicantur. Veruntamen Leuk laude illa minime excellit, non aliter enim ac alia balnea calida agit et effectus ejus salutaris in eo est, quod aegroti horas 8 per diem in aqua versantur, imo negotia sua in ea administrant. Qui his praeceptis obtemperat, prosperum experitur eventum, neque pauca testantur exempla, hanc curandi methodum jam post sex hebdomades saluberrimum praestitisse effectum. Applicatio igitur aquae calidae, aut epithematum humido-calidorum, sive cum sulphure sive cum fontium salinorum aqua, vim exhibet egregiam et haud dubie calor, humidus nempe, principium agens continet. Aqua frigida psoriasi non medetur. Nimirum psoriasis, ut Hebra adnotat, unus esse videtur morbus, qui Priessnitzium, cujus agendi rationes omnes Hebra expertus est, eluserit. Oppolzer

contra refert, Priessnitzium pertinacissimam psoriasin hac agendi methodo sanasse. Hora matutina 3 aeger e somno excitatur, mantele humida circa collum, altera circa pedes volvitur, quo facto corpus linteo humido, superaddito panno laneo, involvitur totumque superne et inferne panis colligatur; aeger in stragulo decumbat stramineo. Sudor copiosus tum emergit, qui per horam dimidiam vel integram sustentatur, quo facto aeger in aquam frigidam desilit, linteis siccatus vestibisque indutus ambulat. Tota haec agendi ratio horas septem complectitur; haud pauci tamen eam perhorrescunt. Balneis calidis, aut solo kali, inprimis sapone molli, quo nullo in morbo cutaneo carere possumus, certissime finem exoptatum assequimur. Sapo mollis ad instituendam inunctionis curam aptissimus est Stuttgardiensis, ex duabus partibus adipis, una parte lixivii kalini consistens. Interest nimirum (id quod saponis Stuttgardiensis attributum est), ut lixivium kalinum hunc in finem adhibitum pondus specificum debitum habeat: 1,333. Si medicus in necessitatem incurrit, talem saponem in pharmacopoliis parandum praescribendi, hac formula utatur:

Rp. Lixivii kali caustici pond. specif. 1,333 partem 1,
Cetacei (aut hujus loco axung. porci) partes
duas, Oleum oliv. vel Aselli.

Saponis mollis usus tamen id praebet incommodi, quod odorem parat ingratissimum, foetidum, quem, si in facie, vel apud foeminas generatim adhibetur, quoad licet, vitari oportet. Saponis mollis applicatio autem, tam in psoriasi

quam in aliis morbis cutaneis, modo salutaris esse potest, si diuturniorem cum cuti contactum sapo alit, nam hoc tantum pacto in epidermidis strata inferiora, fortasse in ipsum corium, efficacitatem exserere valet. Cutis enim totam per crassitiem tali modo impraegnatur. Inunctione peracta, imponatur aliquid necesse est, quod saponis imbibitionem sustentat, cui scopo optime lana, pannus flanelleus, tegmen laneum respondent. Quae si fiunt, infractiones usu non destituuntur. Sin effectum tantum superficiale molimur, qualem lotiones proferunt, sapo paulo post infractionem abstergendus locusque unctus aqua frigida abluendus est, ut stimulus sapone inductus deleatur. In psoriasi tamen, nec non herpete tonsurante, porriginē, ichthyosi, eczematē intense infiltrato, priore methodo opus est, quoniam epidermis solida effici debet, id quod aliis in casibus necessarium non est. Ut totum corpus perfricetur, unciiis 3 saponis mollis opus est. Post infractionem aeger, brachiis trunco corporis admotis, tapeto laneo involvitur, quo facto levis transpiratio existit, utilis magis quam noxia. Qui magno vexabantur pruritu, post infractionem et involutionem eo liberantur. Quovis mane et vespere unciae 2 inungantur; id vero dispiciatur, ne omnes partes aequabiliter perfricentur, sed intensius latus extensorium quam flexorium; artuum flexuris fere penitus parcatur, neque minus peni et scroto, quae partes linteo humido involvantur, ne repetitis infractionibus vehementer doleant. Inunctiones usque ad finem exoptatum, aut si hunc impetrare non licuit, eo usque

continuantur, donec excoriationes usum earum suspendi jubent. Quae priusquam oriuntur, ut plurimum, infrictionibus mane ac vespere repetitis, sex dies praeterlabuntur. Inter undecimam aut duodecimam infrictionem saepe aegroti sensationem conqueruntur, tanquam cutis nimis brevis evaserit; dorsum excoriatum tunc apparet, inprimis apud juniores; corpora crassam epidermidem habentia facilius infrictiones ferunt. Epidermis postea per squamas magas, flavas, fuscas extruditur; veruntamen psoriasis sapone kalino per sex dies adhibito nondum sanata est. In aliis morbis cutaneis, ut herpete tonsurante, pityriasi versicolori, curatio illa sufficere solet. Post sextum diem aeger nequaquam balneo utatur, quod enim si reliquit, post horae quadrantem cutis adeo se contrahit atque tenditur, ut aeger corpus torqueat et erectus stare nequeat; multis eczema supervenit. Opus igitur est, ut aegrotus diebus 7, 8, 9 bene conquiescat; decimo die balneum adhiberi potest. Dein per hebdomadem nihil agitur eaque demum elapsa modus agendi supra descriptus repetitur, id quod in psoriasis saepe ter aut quater fieri debet. Quum Angli hac methodo ad tollendam scabiem utantur, *anglica* appellari solet. Post tertiam aut quartam saponis kalini applicationem efflorescentiae complanantur et evanescent; haud raro tamen psoriasis nondum sanata est, sed altera curandi methodus requiritur, quae remediorum mercurialium aut picis liquidae usu continetur. Pix liquida certis tantum sub conditionibus utilitatem praestat; quae enim si ante saponem kalinum adhibetur, post menses demum effectum exserit; antequam applicetur, epidermoidalem

massam abstergere oportet; imo hoc facto, post aliquot demum hebdomades sanatio impetratur. Pix liquida tum commodissime adhibetur, cum psoriasis in pityriasin abiit; subter pice epidermis solida formatur, cujus proclivitas ad largam defurfurationem interiit. Quaternis tantum diebus nova inunctio potest institui; prius enim illinita non removentur, nisi alcoholem adhibeamus, quod minime idoneum est. Quae de pice, etiam de oleo cadino valent, quod sicca destillatione a Junipero phoenicea obtinetur; eadem quoque de oleo Rusci seu betulino, quod optimum esse dicitur, raro autem bonum impetratur, nam in pharmacopoliis male paratur; quare oleum cadinum plerumque in usum vocatur. Hebra apud aegrotum psoriasi affectum quatuor picis genera varia administravit, singulis extremitatibus aliud genus inungens; effectus omnium idem fuit. Pix non modo topicum remedium sistit et in solam cutem agit, celeriter enim absorbetur. Toto corpore peruncto, urina post 3 horas colorem olivaceum, postremo atrum induit; addito acidi sulphurici pauxillo, intense picem redolet. Rarius peruncto toto corpore stranguria, horror, frigus oriuntur, quae saepe tam impetuousa sunt, ut metum excitent; fit etiam, ut cerebrales affectiones compareant; nihil vero periculi haec symptomata minantur. Non admodum celeriter autem psoriasis sapone molli et pice liquida sanatur, minimum enim trimestri, imo fere semestri opus est. Faustior curationis mercurialis eventus est. Adhiberi solent protojoduretum et deuteriojoduretum hydrargyri, mercur. praecipitat. ruber et albus, unguentum cinereum; haud dubie unguentum mercur. album Werlhofii

inter praestantissima remedia pertinet, quod nonnulli propter salivationem debito nimis timent. Plurimi medici mercurium in psoriasi egregios effectus praestitisse affirmant. Ipse aegrotum vidi, qui per dies 40 quovis vespere drachmam $\frac{1}{2}$ unguenti cinerei inunxit et paene sanatus fuit; alii tres aegroti, quibus vix totidem infractiones, vel paulo plures erant adhibitae, sanati dimittebantur. Ineuntibus ptyalismis prodromis, aliquamdiu remedium seponitur. Multi medici adeo hujus curationis amantes sunt, ut, num mercurii an arsenici praeparata plus noceant, interrogent. Oppolzer mercurio iis tantum in casibus utebatur, in quibus psoriasis locis parvis circumscribebatur; Hebra majora quoque loca inungi jubet. Protojodureti drachma 1 cum axungiae uncia 1 in unguentum redigitur et, si psoriasis minus diffusa est, adhibetur. Deuterojodureti modo grana 5 ad axungiae unciam 1 desumuntur et loca tantum aegrota caute unguntur.

In eligenda curandi methodo aegrotantis constitutio, aetas, opificium respiciantur necesse est. Homines mercurium perhorrescentes si promte sanare studemus, saponis molles et pix liquida administrentur, vel adhibito sapone kalino, hydrargyrum praecipit. album in usum vocetur et, si licet, balnea calida adhibeantur. Externa remedia si vetantur, ad usum internum arsenici praeparatum aptissime datur. Noli autem aegrotis sanationem ante mensis sexti finem polliceri, praetereaue psoriasin serius ocius redire posse, eos edoceas.

VITA.

Natus sum Eduardus Metz Aquisgrani die 18 m. Martii a. h. s. XXX, patre V. Jacobo, medicinae doctore, matre Catharina, e gente Duebuesc, quos parentes dilectissimos ad hunc usque diem incolumes mihi gratulor. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus per octo annos continuos Gymnasium Aquisgranense, adhuc Clar. Dr. Schoen directore florens, frequentavi. Testimonio maturitatis instructus almam petii litterarum sedem Bonnensem, artis medicae studio operam daturus. In civium academicorum numerum ab Ill. Pluecker, t. t. rectore magnifico, receptus gratiosae facultatis medicae decano spectatissimo Ill. Nasse nomen dedi. Semestribus duobus elapsis, autumno anni h. s. LI ad almam universitatem Herbipolitanam discessi. Duobus semestribus peractis, mense Octobri anni MDCCCLII almam Musarum sedem, quae Berolini floret, adii et rectore Ill. Stahl a decano maxime spectabili Ill. Ehrenberg in album facultatis medicae relatus sum. Semestribus tribus praeteritis, vere a. MDCCCLIV almam universitatem Vindobonensem petii. Scholas per quattuor annos hasce frequentavi: de logice et psychologia Ill. van Calker; de physice experimentalis Ill. Pluecker; de botanice Ill. Treviranus; de zoologia Ill. Troschel; de mineralogia Ill. Noeggerath; de chemia experimentalis organica et anorganica Ill. Bischof; de anatomia generali et speciali Ill. Mayer, Weber, Koelliker

et Leydig, qui mihi in arte quoque cadavera secandi duces fuerunt; de physiologia generali et speciali Ill. Koelliker; de encyclopaedia et methodologia medica Ill. Narr; de materia medica generali et speciali Ill. a Welz; de chirurgia generali et speciali Ill. Juengken et Troschel; de pathologia et therapia generali et speciali Ill. Romberg; de arte obstetricia et operationibus obstetriciis in phantomate Exp. Credé; de fasciis chirurgicis applicandis Ill. Schneider; de instrumentis chirurgicis Ill. Textor sen.; de operationibus chirurgicis Ill. Boehm; de anatomia pathologica Ill. J. Mueller; de auscultatione et percussione, nec non morborum cordis et pulmonum diagnosi Exp. Traube; de medicina forensi Ill. Casper.

Praeterea clinica et propaedeutica et medica et chirurgico-ophthalmiatica frequentavi Illustrissimorum virorum Juengken, Langenbeck, Romberg, Wolff, Oppolzer, Hebra, Sigmund, Busch, Ebert, aliorum.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias ago quam possum maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Epithemata glacialia, protinus post sectionem caesaream adhibita, ad obtinendum prosperum eventum hucusque plurimum valuerunt.
2. Saccharum modo, quod constans et uberrimum in urina deprehenditur, solum de diabete concludi patitur.
3. Syphiloideorum pustulosorum secretum, aliis corporibus insitum, ut plurimum ulcera syphilitica primaria efficit.
4. Roseola per quatuordecim dies protracta certe syphilitica est.
5. Systematis sexualis muliebris perturbationes semper fere eczemate, inprimis capitis, stipantur.
6. Quaeque scabiei curatio praepropera, intra paucas horas, repudianda est.
7. Tartari dentium diligens amotio non solum haud noxia, sed ad conservandum dentem absolute necessaria est.

